



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Gregorius VIII. Quoniam ad &c. Pro justitiâ faciendâ & litibus componendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1187.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia pacis inveniant Amen.

Ad te Domine levavi animam meam.

✠ Ego URBANUS Catholice Ecclesie Episcopus.

- † Ego Henricus Albanensis Episcopus.
- † Ego Paulus Prænestinus Episcopus.
- † Ego Theobaldus Hostiensis, & Velletrensis Episcopus.
- † Ego Petrus Presbit. Card. tit. S. Susannæ.
- † Ego Laborans Presbit. Card. S. Mariæ Transiberim tit. S. Callisti.
- † Ego Pandulphus Prebist. Card. tit. XII. Apostolorum.
- † Ego Melior Presbit. Card. SS. Joannis & Pauli, tit. Pammachii.
- † Ego Adælardus tit. S. Marcelli, Presbit. Card.
- † Ego Jac. Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.
- † Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
- † Ego Roland. S. Mariæ in Porticu, Diac. Card.
- † Ego Petrus S. Nicolai in carcere Tullian. Diac. Card.
- † Ego Rad. S. Georgii ad velum aureum, Diac. Card.

Datum Veronæ, per manum Moysi Lateranensis Canonici, viceagentis Cancellariæ VII. Kal. Aprilis Indict. v. Incarnationis Dominicæ, anno MCLXXXVII. Pontificatus vero D. Urbani Papæ III. anno 2.

Ne Domus Claustrales Laicis dentur aut locentur.

III.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri R. Episcopo, & dilectis filiis Decano, & capitulo Carnotensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Dacher.
T. III. Spic.
pag. 550.

AUDIVIMUS & audientes nequivimus non mirari, quod Laici quidam in Claustro vestro domos jure hæreditario possidentes, tales personas plerumque admittunt per quas Clericorum quies in honesto strepitu sæpe turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis præpeditur. Jocularibus quidem alatoribus, cauponibus & mulieribus turpibus præscriptæ domus de consuetudine prava locantur.

Volentes igitur communi Ecclesie honestati consulere, auctoritate Apostolica prohibemus, ne domos Canonicales ulterius Laicis, per quos honestati Ecclesiasticæ derogeretur, vel gratis dentur, aut etiam sub quacumque occasione locentur.

Constituimus etiam de domibus, quas Laici in Claustro jure hæreditario tenent, si eas in personis propriis cum honestâ familiâ, exclusis mulieribus turpibus inhabitare noluerint, ut non nisi Clericis, vel personis regularem vitam professis gratis, vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Ven. XII. Kal. Martii.

ANNO
1187.

GREGORIUS VIII.
PONTIFEX CLXXV.
ANNO DOMINI MCLXXXVII.

Gregorius Beneventanus, prius vocatus Albertus omnium suffragio electus est anno 1187. tempore Friderici Imperatoris. Post dies quinquaginta septem Pontificatus sui obiit. (*Magni Bullarii Rom. Tom. I. hujus Edition. Luxemb. 1727. fol. 48.*)

Pro justitiâ faciendâ & litibus componendis.
GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, omnibus Prelatis Ecclesiarum ad quos litteræ iste pervenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

I.
Lab. T.
X. Concil.
Col. 1752.

QUONIAM ad Episcoporum maxime spectat officium afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit: prospicere tenemur & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem Ecclesie laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & allevare labores, de consueta sedis Apostolicæ misericordia duximus statuendum, ut litteræ prædecessoris nostri Domini Urbani à tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro faciendâ justitiâ & litibus dirimendis, quæ tamen manifestum alicujus præjudicium non contineant, aut calumniam æquitatis, eundem habeant tempore nostræ administrationis effectum quem habere, si adhuc viveret debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum; ut nemo ad nos pro excusatione hujusmodi, accepta per illum justitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare. Datum Ferrariæ sexto Kalendas Novembris.

CLEMENS III.

PONTIFEX CLXXVI.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII.

ANNO
1188.

Clemens Romanus prius Paulinus anno 1188. Gregorio successit. Bellum contra Saracenos decrevit, cum Philippo Gallie Rege hinc tributa, seu decimas Saladinæ quas vocant exigens. Siciliæ turbas post Guillelmi Regis obitum sedare conatus est. Obiit anno 1191. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 49.*)

Privilegium concessum Scotorum Ecclesie & Regi quod à nullo possint excommunicari nisi à Papa, vel ab ejus Legato à latere anno 1188.

I.
Baron. Tom.
XII. pag.
809.

Clemens